

- 1 Deyrusat Toulouse - 11 décembre 1835
 2 Molinier 6^e - 8 février 1838
 3 Smolenski 8^e - 23 avril 1838
 H : Chauveau Poitiers
 { Caillade Toulouse - 19 février 1840
 6 Cowmanville Toulouse 16 janvier 1843
 7 Gazel Toulouse 30 avril 1844
 8 Manan 6^e - 3 août 1844
 9 Pont 6^e - 23 X^{me} 1845
 { 10 Delpach Henri 6^e - 13 nov. 1846
 { 10 Delpach Henri 6^e - (refusé par la Jury)
 11 Daguilhon 6^e - 7 août 1846
 12 Dulamont Toulouse - 28 X^{me} 1846

T11

DAGUILHON RAYMOND-LOUIS-CHARLES
 Jus romanum. De donationibus. De
 donationibus inter virum et uxorem.
 1846



3 111 033857 8

T12

DULAMON MICHEL-ARMAND
 Jus romanum. Quod metūs causā gestum erit. (D. L.
 IV, Tit. II.) De dolo malo. (D. L. IV, Tit. III.) De doli mali
 et metūs exceptione. (Inst. Just. L. IV, Tit. XIII. § I. - D.
 L. XLIV, Tit. IV.)
 1846



3 111 030343 9

DU TRANSPORT DE CRÉANCES ET AUTRES DROITS.

GARRIGOU

Coutume L. T. 3, 96^e, 1848

THÈSE

POUR

LE DOCTORAT,

PRÉSENTÉE

A LA FACULTÉ DE DROIT DE TOULOUSE,

PAR HENRI DELPECH,

Avocat à Bordeaux.

Jus Romanum.

(De hæreditate vel actione venditā , Dig. , lib. 18 , tit. 4.)

PARS PRIMA. — *Præmium.*

Dubitandum non est quin hic titulus ad rerum dationem incorporalium spectet. Dùm et cæterùm de istâ datione nostra in Thesi agatur. Primùm igitur et antè omnia , quænam res corporales sint, quænamve incorpores exponere consequens fortè videretur. Quam autem

quæstionem non nisi post rerum incorporalium dationem, valdè et lucidè evolvi posse putamus, quoquo in jure, ob ambages materiæ, et præsertim in jure romano, propter quasdam civiles rerum divisiones. Et ita synthetico non utentes, analytico, rationalique modo procedere consequemur haud ineleganter.

Id hujus materiæ proprium est, ut ad omnia quasi juris romani puncta leviter, sanè, sed certè attineat; imò quidem quædam sunt exponenda necessariè, tantummodo facilis aliorum intellectus causâ; minimè igitur ex orbe materiæ insimulaturos esse nobis videtur.

PARS II. — *De translatione juris in genere.*

DIVISIO I. — *Vivente reo promittendi.*

SECTIO I. — *De translatione juris singularis.*

I. Translatione juris, aut jus propriè dictum, aut actio quam Galli vocant quidam *Droit sanctionnateur*, aut demùm juris in genere universitas intelligi potest.

TITULUS I. — *De translatione juris propriè dicti.*

CAPUT I. — *De translatione ad Alium juris in re jam in capite rei promittendi stantibus.*

ARTICULUS I. — *De instituendâ obligatione.*

1. Vetere in jure, quoquo modo non institui poterat obligatio; nam et pacta quæ verba recipiebant omnia, et stipulationes quæ formâ quâdam gaudebant, rectè distinguebantur; stipulationibus tantùm non autem pactis tribuebatur actio.

2. Recentioribus tamen temporibus non minus quâm stipulationes, invalescere pacta cœperunt.

3. Cæterum ex stipulationibus ipsis nullum olim jus in re, nulla in rem actio oriebatur; solum autem modò jus ad rem dandam, actio personalis. Nam et *dare* neque *donare*, neque *tradere*, sed *jure induere* reum stipulandi significat.

4. Et id quoad corpora, quemadmodum ad quantitates, certum est. Unde non nudis pactis stipulationibus, sed traditionibus dominia transferri dici solebant.

5. Quae nostro in jure omnino mutata sunt; nam et pactis, quasi stipulationibus, immo pactis nudis dominia hodiè transferuntur; item pactis nudis non solum in personam, sed etiam in rem actionem acquiri consequens est. — Et idcirco, obligationis in jure romano et eadem apud nos vim et potestatem conferre omnino sanè inelegans esse nobis videtur.

ARTICULUS II. — De perficiendâ obligatione, seu de datione juris in re.

PROPOSITIO I. — De datione juris in re sua.

2 I. — Quæstio de re individuâ, seu de corpore certo.

PUNCTUM I. — De datione Dominii.

6. Omnes quæcumque res, quibusdam exceptis, ex jure quiritium abalienari poterant; — non autem nudis pactis, sed traditionibus dominia transferebantur. — Sed quædam naturales, ut ita dicam, translationis modos, et quædam singularem hanc normam, quam vocabant mancipationem, dominia recipere vulgare est. Unde res ipsæ, vice dominiorum, nec mancipi, aut mancipi dicebantur; quod si haec res, potiusve haec dominia, per mancipationem non transmittentur, eas emptor veluti bona, minimè autem veluti propria ex jure quiritium, habebat, nisi usucatio fieret. Mancipationem ceterum, quæ sèpè vocatur venditio per aes et libram, in quibusdam verbis quibusdamque actis consistere scitur.

7. Atqui rerum nonnullæ mancipi erant, id est prædia seu rustica seu urbana in Italiâ, et animalia domestica in Italiâ indigenæ, et homines in genere; — res mancipi mancipationem, seu in Italiâ, seu in provinciis recipiebant, dummodo sint præsentes, mancipationis faciendæ causâ.

8. Cæteræ res nec mancipi erant, qualia vestis, aurum et argen-

tum , et camelii et elephanti. Unde dominium eorum per traditionem purè dari solebat.

9. Quoad prædia provincialia, nec de mancipatione eorum, nec quidem de dominio eorum transferendo, quæstio fieri poterat; quoniam eorum dominus ipse Romanus Populus aut Cæsar est, coloniarius autem tantum possessor; unde coloniarius nunquam jus in re, sed possessionem in eis teneret. Idcirco, pactionibus et stipulationibus sese mutuò adjuvantibus, non autem traditione mancipatione, veluti res nec mancipi mancivative, transferebantur possessiones; et pariter præscriptione, minimè autem usucapione, gaudebant.

10. Cæterum, temporibus Justinianeis, traditione quâcumque, quemadmodùm quocumque pacto, uti solebat.

PUNCTUM II. — *De datione Ususfructūs.*

11. Nùm usufructus minus quam dominium traditionem et consequenter mancipationem recipere potest? Quod minimè quidam inter doctores nostros existimare fatetur; atque haud ineleganter, quoad, de quo hic agitur, jus istud constituendum; nam et jura prædiorum ^{rusticarum} ~~urbanorum~~ mancipatione valde constitui posse mirandum est; et imò per aes et libram, id est per mancipationis formam, obligationes olim fieri.

12. Quæ, cùm ità sint, usumfructum minimè mancipatione constitui, itaque nec mancipi generatim esse nos docet Gaius; excepto prædiorum rusticorum in Italiâ usufructu; sed et pactiones et stipulationes unà recipiebat. — Tumque, quomodo traditio fiebat ususfructūs transferendi causâ?

12 bis. Indirectè prætereà, per mancipationem quibusdam in casibus usufructus constituebatur.

PUNCTUM III. — *De datione servitutis.*

13. Quemadmodùm usufructus, constituebantur servitutes. Nam et inter servitudes usufructus confundi solet. — Itaque, si quis velit vi-

cino aliquod jus constituere, pactionibus et stipulationibus, et sine traditionis opere, id efficere debet.

¶ II. — *Quæstio de quantitatibus, seu de obligatione propriis vulgariter dicta.*

14. Hic omnes quæcumque prædictæ normæ applicationem recipiunt, imò, per aes et libram constitui posse nos docet Gaius.

15. Unum notandum est, scilicet obligationes quoad pecuniam spectant, nomina vocari.

PROPOSITIO II. — *De datione juris in re alienâ.*

16. In prædictis, quænam ad alium jura potest et in re suâ transferre dominus; hic quomodo et quænam in re alienâ jura aliis ad alium dare jus est, sumus exponendi.

17. Sanè non de dominio, tantùm autem de ususfructûs aut servitutis jure agitur.

18. Et jam nunc, ea jura constituta mancipi nunquam sunt, ea quidem quæ constituenda mancipi erant; et reipsâ tantùm per pactiones et stipulationes transferri queunt.

19. Ceterùm usumfructum tantùm ad alium transferri, minimè autem usum aut habitationem, et imò servitutem notandum est; imò nos docet Gaius ab usufructuario, non nisi domino rei, jus suum in jure cedi posse.

ARTICULUS III. — *Appendix. De mancipacionis cessionisque functione.*

PROPOSITIO I. — *De mancipacione.*

20. Mancipatio in quibusdam verborum actuumque modis est; quæ non sine corpore, corpore certo manuaptando, effici non queunt. Ex quo sequentia oriuntur.

21. Res, seu in corpore, seu in ente rationali consistunt; ens rationalis, id est universitas mancipari non potest, vide tamen, n° 81.

22. Corpora certum corpus aut quantitatem amplectuntur. Quantites mancipacionem non recipiunt; et tamen, mirabile per aes et libram promitti possunt.

23. Corpora certa ad corpus suum ipsius rei stipulandi, aut ad corpus alienum spectant; — corpora aliena (in quibus cæterum non nobis dominium, sed usufructus servitusve esse potest), mancipationem repudiant. Imo usufructus servitusque omnem de alio ad aliud translationem repellunt.

24 Quoad corpora certa nostra, seu de dominio, seu de usufructu seu de servitute agi potest; — Nec ususfructus, nec servitus mancipatio, nisi indirecte, constitui queit; — salvis servitutibus prædiorum italicorum rusticorum, ingenii omanorum agricolaæ index.

25. Superstant corpora certa nostra, de dominio transferendo. Et hic omnia ista dominia per mancipationem transferuntur. Cæterum aliis eorum mancipatio necessaria est, aliis inutilis; — Quorum undè rerum aliae mancipi, et aliae nec mancipi dictæ fuerunt.

26. Et ita notandum est res nec mancipi mancipationem quidem recipere, dum corporales sint.

27. Denique, fundus provincialis nullo modo mancipari poterat.

PROPOSITIO II. — De cessione in jure.

28. Quemadmodum mancipationem, cessio in jure in materialibus quibusdam formis consistebat; nam verâ vindicatione fictâ, verâ actione in rem siebat.

28 bis. Undè cessionem in jure taxativè mancipationis functiones agere videretur; — Et sanè quod valet mancipatio idem et valet in jure cessio; — Sed et præterea multis in aliis causis cessio in jure peragi poterat.

29. Itaque tam ens rationalis, id est hæreditas, quam corpus cedi potest.

30. Quoad corpora, non quantitati cessio in jure applicari posse videtur, nam et primum obligatio apud Romanos, jus ad rem tantum constituebat; utique nec actio in rem creditor i tribuebatur; atqui, in jure cessio vindicationis imago est.

30 bis. Quarum præterquam facilis ratio datu est; formis enim suis ipsius, usu præsentiam rei exigente, cessio in jure impediebatur esse.

31. Quoad corpora certa, dominia ab alio ad aliud nec transferri

nec consequenter in jure cedi; et ususfructus aut servitutes ~~pariter~~
~~stipulationibus, ne aliquoties~~ mancipatione, nec tunc etiam cessione in
jure, transferri posse liquet.

52. Quoad corpora nostra, et dominium eorum et usufructus
et servitus directè constitui per cessionem possunt, tam in provin-
ciis quam in Italiâ factam.

53. Cæterùm quoad prædia provincialia, nihil cessionem recipit. —
Sed pactiones et stipulationes.

CAPUT II. — *De translatione ad alium juris ad rem jam in capite rei promittendi stantibus.*

ARTICULUS I. — *De quo hic agitur.*

54. Nostrà sane rubricâ quandam obligationem institutam, non
autem perfectam, quæ transferenda est ad alium, et quam hic perficiendam
opere suo, est consequendus, supponi facilè visu est.

55. Undè jam tres personæ apparent; scilicet, prior reus promittendi,
seu debitor cessus, recentior reus stipulandi seu cessionarius, et inter
eos is qui simul ipse reus stipulandi erga illum, reus promittendi
erga hunc, invicem et creditor et cedens vocatur. — Item haec
stipulatio cessio dicitur.

56. Quâ de causâ, nunc non, ut modò, de transferendo jure in re quo
utitur ipse cedens erga suam aut alienam rem, sed de ad rem; — Atqui
jus ad rem quo induitur cedens, nunquam nisi in re alienâ consistit.

57 Ex prædictis de instituendâ obligatione, minimè autem de perficienda ut suprà, inter cedentem et cessionarium sanè oritur; amplius autem instituendam perficiendamque obligationem cessionarium
inter et cessum exponere opus est.

ARTICULUS II. — *De cedenda obligatione quæ ad certum corpus alienum spectat.*

58. Reus promittendi meus, seu quoad dominium, seu quoad usum-
fructum, seu quoad servitutem rei suæ, erga me sese obligatus est; —
an ea quidem ipse jura alio transmittere justè queo? — sed istud
omittemus studium, quoniam nec nostrâ rubricâ amplectum, nec intellectui ejus necessarium putamus.

ARTICULUS III. — *De cedenda obligatione quae ad quantitatem alienam spectat.*

PROPOSITIO I. — *De quantitate in re.*

39. Transeamus nunc ad obligationes quantitatum; — nihil tamen de quantitate in re, velut unum bovem in genere, centumve media frumenti; nam et regulæ infrà dictæ etiam hīc prosunt.

PROPOSITIO II. — *De nominum cessione.*

2 Ier. — *Præmium.* — *Quomodo distinguntur variæ nominum translationes.*

40. Sanè differunt et cessio et delegatio et adsignatio, et emptio venditio, et intercessio.

41. Emptione venditione, contractus consensu constans, quo id agitur, ut res commutetur cum certo pretio, intelligitur.

42. Intercessio generatim dicitur conventio quā quod alius debet, alius in se recipit solvendum.

43. Adsignmente quoddam mandatum significatur, quo pecuniam ab assignantis debitore exigere mandatario jus est, unde ipse sibi sumat vel satisfaciat.

44. Delegationem quoddam solvendi mandatum reo nostro appellamus.

45. Cessio denique in translatione nominum constat, quā nomen alienum alicui in suam ipsius utilitatem, persequendum demandatur transfertur.

46. Atqui cum actionum cessione commiscenda non est sublocatio quam vocant, non magis quam substitutio à mandatario facta. Siquidem utroque negotiorum genere, nihil juris in alium transferatur adversus ipsum quocum res est vel conductori primo, vel mandatario.

47. Cessio à delegatione differt non tantū quoad naturam, sed quantum ad regulas. Nam cessione, invito debitore, posterioribus saltem in temporibus, res sese habent; — et delegatione non nisi consentiente et stipulanti promittente debitore, jure perfici non po-

test; — nominis autem venditio et ignorante vel invito eo adversus quem actiones mandantur, contrahi solet; delegatione, prorsus conversa nominis natura est, ita ut nova oriatur obligatio; dum cessione pristinam vim retineat nomen, posteriori saltem, ut dixi, tempore.

48. Et simili modo, longè ab adsignatione cessione differt; nam adgnatione, si frusta petuit creditor, ad adsignantem reddit; — dum cessione novatio in integro fit.

SECTIO II. — *Quomodo cession agatur inter cedentem et cessionarium.*

49-50. Omnia in genere nomina cedi possunt, quin etiam ea de quibus an extitura unquam, vel qualem habitura sint exitum, dubium est.

51. Atqui obligationes quoquo modo contractae, nihil eorum modorum quæ suprà diximus, recipiunt. — Nam opus est, ut jubente me creditore, tu ab ipso debitore stipuleris; quæ res efficit ut à me liberetur et incipiat tibi teneri, quæ dicitur novatio obligationis; sinè vero hâc novatione, verbi gratiâ, si per mandatum aut emptionem venditionem processum sit, non poteris tuo nomine agere sed debes ex personâ meâ quasi cognitor aut procurator meus experiri.

52. Undè cessionem non fieri invito debitore, rectè dici potest; eoque modo, cessæ hæreditatis debita pereunt.

53. Sed et etiam et invito debitore, nomina transferebantur; — nam dum formulæ intentio in nomine cedentis conciperetur, condemnatio tamen in nomine cessionarii concipebatur; et ita, per et post formulam datam, novatio habebatur, tuncque incipit teneri reus litis contestatione.

53. Posterioribus autem temporibus, nominis venditio, etiam ignorante aut invito eo adversus quem actiones mandantur contrahi solita est. — Quâ venditione, dominium rerum obligatarum ad emporem non transit, sed vel in rem suam procuratore facto, vel utilis, secundum ea quæ pridem constituta sunt, exemplo creditoris, persecutio tribuitur.

PUNCTUM II. — *Cessionis vis ac potestas.*

55. Prioribus in temporibus, quum per stipulationem et novationem de qua locuti sumus suprà cessio sese haberet, cessionarius suo nomine agere poterat, adversus reum; tunc enim cessio propriè dicta fiebat.

56. Aliis autem modis, id est verbi gratiâ, per emptionem venditionem; cessio non erat; nam et, nisi reo consentiente, cessio contrâ eum minimè valebat. — Itaque, ex persona cedentis quasi cognitor aut procurator agere debebat; undè procurator in rem suam appellabatur.

57. Posteriori autem tempore, invaluere utiles actiones non solum explentes mandati vim arctissimis circonscriptam limitibus, verùm etiam idem supplentes, siquidem nullum intervenisset mandatum. — Unde tamen cessionarius procurator esse non desieret.

58. Deniquè, et in recentioribus temporibus, tertiam et ultimam formam cessio induit, id est eam, circà, quâ nostro in jure gaudemus. — Nam in fine, pactionis verbis et invito debitore rectè et perfectè cessio sese habuit.

59. Quæ cum ità sint, verum esse nomen, non autem solvendo esse debitorem, cedenti plano jure præstare onus est. Quòd si nomine falso, certæ nummæ debitor dictus sit, in eam summam tenetur vendor; si incertæ, quanti intersit emptoris. — Et quidquid ex compensatione vel exactione consecutus fuerit, vendor restituere compelli potest.

60. Quænam autem jura cum nomine cessionario transferuntur? Difficilis datù regula. Haud sanè de pignoribus, sed de actionibus exceptionibusque nomini coherentibus. — Quin autem discernere jura quæ ad personam cedentis ipsam ex lege spectant, et ea quæ ad nomen potius attinere videntur, sapere esse dubitandum non est.

61. Empto nomine, ex empto vendito ab emptore vendor cogi potest, ut ille acceptum faciat debitori.

3. III. — *Quomodò cessio agatur inter cessionarium et cessum.*

62. Priori tempore, cessionarium modò nominis dominum, modò

contrà , et procuratorem in rem suam esse diximus ; — quùm igitur pro domino teneretur , actionem directam erga debitorem , quasi prior dominus , habebat . — Sed et si pro procuratore , actionem mandati tantùm erga debitorem uti poterat ; seriùs autem ei actio , seu directa , seu utilis , à prætore concessa fuit adversus reum , quasi domino ipso .

63. Recentioribus autem temporibus , cessione per venditionem habitâ , cessionarius procurator quibuscumque in casibus , esse desiit , dominumque nominis reipsâ acquisivit ; — idcirco , regulas cessionis omnino mutatas esse facilè colligendum est .

64. Atqui cessionem à cessionario debitori denuntiari necesse est , sine quâ persecui nomen cedens , et debitor ei solvere rectè potest ; — itaque et dùm denunciatio absit , et solutione et compensatione et pignoris capione , et denunciatione aliis cessionariis valde liberatur debitor , erga cessionarium , cui tantùm à cedente præstari nomen intendere superstat .

65. Quæ cùm ita sint , de lege Anastasii quâdam , hìc loqui interest ; — et de eis in quibus disponitur : per diversas , etc.

TRITULUS II. — *De translatione actionis.*

CAPUT. I. — *Præmium.*

67-68. Cæterùm , actiones quasi nomina cedi solere fatendi sumus ; pauca igitur sequentia erunt .

CAPUT. II. — *De cedendâ actione in rem.*

69. Hic nihil dicendum est ; nisi vindicatione indui , et igitur rem tantùm , non autem dominium , traditionem puram non autem dationem persecui , notemus .

70. Undè quædam oritur differentia inter actionis in rem cessionem et juris in re translationem , generatim , id est quùm jus in re quoddam ad te transferam , ex obligatione tibi *dare* , id est rem , et re , dominium tradere , cogi possum ; actionis verò in rem cessione , ex obligatione nec dominium , nec rem à me intendere tibi jus est ;

sed illud mirum evenit , ut naturaliter et ipsā vi obligationis , dominio induitus , corpus à quoquo possessore , quasi dominus reipsā , vindicatione petere queis. — Et in summā , primo in casu , dominii reique , secundo autem dominii purè , erga te reus sum promittendi. — Cæterū qui jus in re promittit , et actionem in rem unā implcitè promittit.

74. Et pariter inter actiones in rem , et actiones in personam (id est ad rem) patet differentia ; — qui enim actionem in rem tenet , dominus est erga possessorem , et ob eam vindicatione uti potest ; — illum verò cui tantum actio in personam est , creditor tantum erga possessorem , tantumque jure ad rem uti posse , scimus , antequam ei vindicatio tribuatur.

CAPUT. III. — De cedendā actione in personam.

72. Hic pariter dicendum nihil est præter hæc :

73. Actione in personam , seu obligationem perficiendam , seu obligationem instituendam (putà cum ex delicto procedamus) , seu obligationem institutam perfectamve rescindendam , ab actore consequi animadvertere sapere est.

CAPUT IV. — Quænam pro nobis cessionem personæ contrahere possunt.

74. Et primū inutilis est stipulatio , si vel ab eo stipuleris qui tuo jure subjectus est , vel contrà .

75a. Pariter , si alii quām cuius juri subjectus es , stipuleris , nihil agis ; nam nec tu interest , nec res inter alios actæ alii prodesse potest ; undè neutri actio est. — Cæterū junge , § 3 , 19 , ad 21 , tituli : de stip. serv.

75b. Patremfamilias ipsum pro ipso contrahere posse vulgare est. Imò et pro servo , et pro filio in potestate , stipulari poterat ; sed et sibi ipsi fere semper acquirebat. — Pariterque promittebat.

76. Contrà , per servorum suorum , aut civium qui in mancipio sunt , aut filiorum in potestate suâ , aut mulieris in manum conventa ,

stipulationem, acquirebat; nam qui in potestate nostrâ est, nihil suum habere potest.

77. Quibus tamen personis stipulari, non autem promittere, jus erat; nam et promissione servi, aut mulieris, nec dominus, nec servus, nec mulier obligabatur.

78. Quoad pupillum, ex quo fari cœperit, rectè stipulari potest, tute ore auctore.

79. Et in his Titulos VII atque VIII ex libro IV Institutionum Justiniani nullius momenti esse notandum est.

TITULUS V. — *Appendix; — de quâdam acquisitione indirectâ.*

80. Non solum per Cessionem directè, sed indirectè per varios modos, jurium actionumve translatio fiebat; de quibus, quamvis extrâ ordinem nostræ Thesis sint, unum verbum dicere expedit. — Qui universitatem quamdam consequitur, et simul et unâ tam jura quam actiones valdè acquirit.

Omnem juris universitatem, tam commoda quâm incommoda, sive ad recentiorem dicendi normam, activa et passiva corpora seu nomina amplecti vulgare est; — undè oritur, nomina, in eventu, per acquisitionem universitatis cujusdam in quâ extant, acquiri.

Atqui universitates tam per successionem, propriè dictam, de cesso domino, quâm eo vivo per adrogationem, et per venditionem bonorum debitoris — et per bonorum adjudicationem ex S. C. Claudio — et per bonorum additionem libertatis causâ acquiruntur.

SECTIO II. — *De translatione universitatis.*

TITULUS I. — *Præmium.*

81-a. Universitas definiri eleganter difficillima est. Quoddam jus omnia singula jura amplectans, videtur; quod in re nec ad rem est, et ~~ceterum~~ tamen sine re consistit; quodque nec de determinatâ nec de indeterminatâ re dependit; nam et jus singulum et universitas ad utram-

que spectant; — Quod , si ità fari liceret, minimè in numero certo rerum singulorum, minimè in corpore earum, sed et in aggregatione generaliter rerum omnium et negotiorum nostrorum, quasi ens rationalis habitorum, jus est. Quod demùm si talia componere licet, ergà res est eadem quàm ergà individuas personas quod vocamus *corporation*.

81-b. Ex quo magni principium momenti procedit, scilicet, nudis pactis, et ità sine traditione, universitatis dominium transferri, Dùm juris singuli dominium non, nisi traditione augente, pactum, fit. Quod non impedit ut traditione tantùm, dominia rerum singulorum quæ in universitate insunt, tranferantur.

82. Quæ cùm ità sint , omnem juris universitatem tam commoda quàm incommoda, sive, ad recentiorem dicendi normam, activa et passiva seu corpora seu nomina , seu jura , seu actionis involvere vulgare est; caeterum inter res nec mancipi numeratur ; nam non tantùmmodo mancipationem recipit.

1083 TITULUS II. — *De translatione universitatis sue.*

CAPUT. I. — *Quoad dominium.*

82. Aliquoties per nonnullos successionis modos , cujusdam viventis universitas transferebatur. Nàm dùm viventi non sit haereditas , tamen et viventi successio potest esse; scilicet : indirectè, per adrogationem , per in manum mariti conventum , per bonorum adjudicationem ex S. C. Claudio , — et directè , per donationem universorum bonorum , per venditionem bonorum debitoris.

CAPUT. II. — *[Quoad usumfructum.*

83. Quod agi non solet.

TITULUS III. — *De translatione universitatis ad se delatae.*

CAPUT. I. — *De translatione fideicommissariæ clausulæ causâ.*

84. Quo de modo hic non tractandi sumus.

CAPUT II. *De translatione per venditionem.*

ARTICULUS 1. *Hæreditatis venditio.*

85 a. Dùm et mancipare quisque suam ipsius hæreditatem posset, tam
en ei hæreditatem ad se delatam tantum in jure cedere jus erat;
cæterum aliis modis, quasi nominorum in causâ, uti non prohibebatur.

85 b. Utiquè nullo modo hæres testamento scriptus ante aditam
hæreditatem, eam transferre quibat; quoad hæredem necessarium, an
valdè agat, quum in jure cedat hæreditatem, in principio dubitandum
erat; nec hæc sententia Gaio placet. quod autem de legitime? Sag 99 am

86. Attamen utroque in casu, magna inest differentia; nam venditione, ante hæreditatem aditam, venditor unquam hæres fuerit, et jam
fit hæres is cui in jure cessa erit haereditas; perindè ac si per legem
ad hæreditatem vocatus esset. — Post aditionem verò si cesserit, in-
hilominus hæres venditor ipse permanet, et ob id creditoribus tene-
bitur; debita vero pereunt, eoque modo debitores hæreditarii lucrum
faciunt; corpora vero ejus hæreditatis perindè transeunt ad eum cui
cessa est haereditas, ac si ei singula in jure cessa fuissent.

87. Omnino autem aliud erat, cum per alios cedendi modos cessio
fieret, ut videbimus infrà.

ARTICULUS 2. *Hæreditatis venditæ vis ac potestas.*

PROPOSITIO 1. *Sihæreditas quæ est vendatur.*

Q 1. — *A domino.*

88. De hæreditate venditâ, aut universitatem in genere, aut uni
versitatem in certis rebus constantem, distinguere debemus.

89. Vulgo hæreditate venditâ quædam universitas in genere signi-
ficatur. — Et in hoc casu, cum hereditatem aliquis tanquam ad se
delatam quæ nulla est, aut non pertinet ad venditorem, vendidit,
indemnem præstare emptorem necesse habet. — Venditor autem hære-
ditatis satis dare de evictione non debet, nec de rebus singulis atque-

de quantitatibus aut valore; — qui autem nondum certus de quantitate hæreditatis, persuadente emptore, quasi exiguum quantitatem eam vendidit, bonae fidei judicio convenire, ut res tradat vel actiones mandet, non compellitur. Nam suo quoque jure eorum persecutionem habet.

90. Sed si hæreditatem in certis rebus constantem vendidit hæres, quæsi in venditione præstare tenetur.

91. Cæterùm utroque in casu utrùm ea quantitas quæ fuit mortis tempore, an ea quæ fuit cùm aditur hæritas, an' ea quæ fuit cum hæritas venumdatur, universitate venditâ significari putandum est? — Et verius ad hoc esse servandum quod actum est. — In dubio hoc agi videtur ut quod ex hæreditate pervenit in id tempus quò venditio fit, id videatur venisse; idcirco ab emptore omnes impensas et omnia hæreditatis causâ soluta, venditor repeterere potest. Et vice versa minimè res venditas in corpore sed earum pretium aut nomen et omne lucrum quod ex hæreditate tibi pervenerit restituere necesse habet. — Sed et si quid dolo malo venditoris factum sit, aut latâ culpâ, quò minus ad se perveniat, et hoc emptori præstandum est. — Quoàd indebita quæ exegerit hæres ab alienis, aut eis solverit, neque hæc hæredem emptori præstare debere, neque illa ab emptore consequi posse, regula tenetur.

92. Sed et si hæres antequam venumdederit hæreditatem, quandam rem singularem dederit, valorem rei restituere sanè cogi potest. ²³ Quid autem de hæreditate impuberis, ex pupillari substitutione delatâ, quæ in hæreditate patris venditâ amplectitur.

93. Actiones quoque hæreditatis competentes, seu singularum rerum, seu universitatis causâ, venditorem præstare justum est; præterquàm et emptori utiles actiones, tanquam ex jure cesso sanè competitunt.

94. Praetereà, inter venditorem et emptorem hæreditatis stipulationes emptæ et venditæ hæreditatis interveniunt, quâ quisque eorum alterum fieri indemnum cogi potest, quantum ad ea quæ antè post venditam hæreditatem fiunt.

95. Quod non impedit ut solâ traditione dominia rerum hæreditarium transferantur. Itâ ut si quis hæres hæreditatem vendiderit, antequâm res hæreditarias tradiderit, dominus eorum perseveraverit, et ideò vendendo eas aliis dominium transferre potuit. Sed quoniam fidem contractus fregit, ex empto actione conventus, quanti tuâ interest, præstare cogetur.

96. Emptor hæreditatis, actionibus mandatis, eo jure uti debet, quo is cuius pesonam fungitur, quamvis utiles actiones adversùs debitores hæreditarios *actiones* emptori tribui placuit.

97. Quod ad actiones aut servitudes aut nomina personæ venditoris propria spectat, confusione primùm extincta, venditione rursùs beneficio venditoris nascuntur, adversùs emptorem, et vice versâ.

98. Quibus non impeditur ut venditor hæres velut anteà, maneat; atqui et creditorem actiones excipere, tûm etiam legata solvere vel fidei commissa cogi potest, itaque ratio juris postulat ut dûm illis qui eum conveniunt, respondeat, simul et cum eo cui hæreditatem venumdedit, experiatur suo ordine. — Quamvis enim ea lege emerit ut creditoribus hæreditariis satisfaciat, excipere tamen actiones hæreditarias invitus cogi non potest.

99. Cæterum hic quemadmodum in nomine vendito, legis Anastasii citandæ locus est.

¶ 2. *A non domino.*

100. Denique de vi et potestate venditionis seu rei singularis seu universitatis ab hærede falso contractæ, erga verum hæredem notanda edicta lata fuerant.

PROPOSITIO 2. *Si hæreditatem quæ non est vendatur.*

101. Quid autem si hæreditas non extet; et putâ cum hæres legitimus parentem decessum credens, ejus hæreditatem vendiderit, aut si quamcunque falso vendiderit quidam?

SECTIO III. — *De translatione partitionis universitatis.*

102. Quam, pluribus ex causis, materiam omitturi sumus.

TITULUS IV. — *Appendix. — De mancipacionis cessionisque in jure functione, quoad universitatem.*

103. Universitates in quodam ente rationali, consistunt, nec autem cum jure cedendo ab alio ad alium confundi debet. De quo serius nonnulla profitemus.

104. Unde universitas per æs et libram, putà in donatione venditioneve, dari poterat; id est mancipari; et nulla, ex quâ distinguere inter hanc quæ propria nostri ipsius est, et illam quæ nobis delata est, causa in thesi appareat; sed et tamen tempore Gaii, hæreditatem delatam non mancipationem, si detur, recipere certum est.

105. Nostra autem universitas, et etiam aliena ad nos delata, cedi in jure potest.

106. Notandum est de translatione, inter vivos hic tantùm agere.

DIVISIO II. — *De translatione juris, decesso juris domino.*

SECTIO I. — *De translatione juris singularis.*

107. Per legata codicillave jus singulum transmittitur.

SECTIO II. — *De translatione universitatis.*

108. Universitas per successionem propriùs dictam transferri solebat. Tunc ex testamento, hæredi voluntario, tunc deficiente testamento, hæredi necessario; et ita siebat ut, ii quidem qui parte reservatâ gaudebant, quasi non haeredes, sed purè legatarios, erga institutum hæredem haberentur; — quod imò, veteri jure in nostro, studiosè observatum fuit; — sed nunc hæreditas testamentaria plus valet quam legitima, et vice suâ reservatæ cedit; — quoque in casu, partitionis legatarii locum habet hæres institutus.

109. Aliquoties etiam ^{ad}ditione bonorum libertatis causâ utebantur.

